Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Beati P. Philippi Nerii Florentini. Congregationis Oratorii Fvndatoris

Gallonio, Antonio

Mogvntiæ, 1602

Acta eius in gymnasio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43172

Visual Library

Iesu Christi anno	Pauli III. Pap. anno	Ætatis anno.
1535. 36. 37.	1. 2. 3.	21. 22. 23.

Paulus III. Pontificatũ iniit 3. Idus Octob. an. 1534.

Acta eius in gymnaſio.

QVo tempore Philppus ſeſe in literarũ ſtudijs exercuit; quãquam interdiu cum ſodalibus verſabatur, ac de quæſtionibus naturalibus, & obſcuris crebros cum illis ſermones, ac diſceptationes miſcebat; ſolitudinis tamen vltra quam dici poteſt appetentiſſimus, noctu longas vigilias trahebat, atque iuxta Apoſtoli monitum, inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellectu conſpiciebat, ſempiternam quoq; eius virtutem, atq; diuinitatẽ, quãtum homini corruptioni obnoxio fas eſt, ſcrutabatur.

Septem Vrbis Eccleſias, & religione, & ſummorum Pontificum indulgentijs celeberrimas, nemine ſibi comite adiũcto, obibat frequẽtiſſimè. Nouerat enim de anima Christi amore flagrãte ſcriptũ re-

Idẽ feciſſe ſãctiſſimos Viros, omnes fatentur; tu interim legito Osbertũ Monachũ in Vita S. Dunſtani Epiſcopi Cãtuariẽ. cap. 37. apud Sur. tom. 3. Bãdominã in Vita S. Radegundis Reginæ. Theodoricum in S. Dominico lib. 1. c. 4. & demũ

periri

Sur. in S. Eleazaro Comite tom. 5.

Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. & alibi. Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuabit ſe ſupra ſe.

Paupertatem adeo coluit, vt nihil vnquã à cognatis, & conſanguineis accipere decreuerit. A Frãciſco patre, cui egregie carus erat, Romæ cum eſſet, nihil, præterquam initio, vnum, vel alterum induſiũ accepit.

Caducarum rerũ curas, ac præcipue quæ ad affines, cognatoſue ſpectarent, refugit omnino.

Cubiculo vſus eſt perangusto, in quo nihil erat præter lectulum vnum, & libros aliquot, & iuduſia fune ad parietem appenſa.

Vbicunq; ſeſe dabat occaſio, cupiditates, motuſq; animi à ratione abhorrentes comprimendi, amplectebatur eam auidiſſimè; ſequemet in omnibus vincere curabat. Hinc filios ſuos monere ſolitus erat, vt ſe ipſos minimis etiam in rebus vincere ſtuderent, ſi magnorũ certaminũ

inde victores fieri cuperent. Denique in id totis viribus incumbere ſibi in animo erat, vt ducem Chriſtum paupertatis, ſuique contemptus amatorem eximium ſequeretur in omnibus.

Ieſu Chriſti anno	Pauli III. Pap. anno	Ætatis anno
1537.	4.	23.

Totum ſe Chriſto dicat.

INterea cum B. Pater adeo abunde, ſufficienterque in ſcientiis humanis inſtructus eſſet, vt iam cũ paucis è ſodalibus conferendus videretur, literarum ſtudiis relictis, ſe totũ, vt vocantem Chriſtum ſequeretur in exitu anni huius ſęculi, vt opinor, trigeſimi ſeptimi, orationi, rerumq; diuinarum meditationi cõmiſit. Illud autẽ ante omnia aggredi conſtituit, vt quos haberet [a] libros venderet. Eo enim ardore inueniẽdi Chriſti teneri cœpit, vt verbis explicari vix poſſit, in feruore ſpiritus ambulans.

a *Idem feciſſe S. Dominicũ ſcribit Theodericus Vitæ eius lib. 1. c. 2.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN